

*alia pecorum, alia volucrum, alia autem piscium. Alia claritas solis, alia claritas lunæ, et alia claritas stellarum; stella enim a stella differt in claritate: sic et resurrectio mortuorum.* Nullis in animalibus ita luisse videtur divina sapientia, uti in volucribus, tam in pennarum quam in vocum varietate: at multo major varietas erit inter beatos, et inde decor cœlestis civitatis mirum in modum augebitur. Quare cum proponantur nobis variæ vestes, gemmæ, aureæ, argenteæ, sericæ, lineæ; pro regibus, principibus, comitibus, nobilibus, prout quis cucurrerit in hoc stadio; quisque intendat vires suas ut quam nobilissimam lucretur. Student fere omnes pulchris se ornare vestibus, in paschate præsertim, cur non potius in cœlo millies pulchriores comparant sibi vestes glorificati corporis et animæ? Interim tamen nulla inter sanctos est invidia aut æmulatio, quemadmodum nec inter avium species, tametsi aliæ alias superent decore, cantu, magnitudine; quia unusquisque pro sua capacitate præmiatur et satiatur.

V. Ovum puritate omnes alios cibos superat. Cum enim undique testa communitum sit, nec veneno infici; nec coquentium aut palpantium manibus inquinari potest: fumo non vitiatur, fuligine non amarescit, cinere non conspergitur, ab olla vel lance vitium non trahit. Sic et beatorum in cœlo gaudia purissima et integerrima sunt. In terra nullum bonum est, quod malis non permixtum sit, indeque amaritudinem contrahat. Est vir quispiam genere illustris, sed pauper: alius dives, sed abjectus: alter in pretio habitus, sed ægrotus. Rachel erat pulchra, sed sterilis: Lia fœcunda, sed lippa: Naaman dives erat, sed leprosus: Elisæus, qui eum sanavit, sanus, sed pauper. Asa rex quid non habuit deliciarum? Interim gravissimus podagræ doloribus vexabatur, II. Paral. XVI. At in cœlo mors non erit amplius, neque luctus, neque clamor, sed nec ullus dolor, etc. Apoc. II.

VI. Ovum pressum utroque extremo ambabus manibus frangi nequit. *Firmitas enim putaminum*, inquit Plin. I. XXIX. c. III. *tanta est, ut recta, nec vi, nec pondere ullo frangantur, nec nisi paululum inflexa rotunditate.* Similiter gloria resurrectionis, quam expectamus, talis est, ut nulla vi creata abrumpi aut adimi electis queat: quemadmodum et Christus ita resurrexit, ut mori jam non possit, nec unquam gloriam suam perdere. Hæc est omnium nobilissima beatorum gemma; qua cum careat, hujus mundi prosperitas, quantacumque ea sit, vilissima est; imo quo major, eo miserior, quando cogitas eam brevi finem habituram. Ita enim Salomon, qui

omnia, quæ desideraverat anima ejus sibi comparat, uti recenset Eccles. III. subjicit: *Cumque me convertissem ad universa opera, quæ fecerunt manus meæ, et ad labores, in quibus frustra sudaveram, vidi in omnibus vanitatem et afflictionem animi, et nihil permanere sub sole.* E contra Christus redivivus canit: *Convertisti planctum meum in gaudium mihi, conscidisti saccum meum* (in cruce) *et circumdediti me lætitia* (in resurrectionem) *ut cantet tibi gloria mea, et non compungar*, Ps. XXIX. q. d. pupugerunt me aliquando, sed non pungent amplius, ut explicat S. August. Hujus gloriæ typum exhibuit discipulis in transfiguratione, sed quia illa brevi duravit, vetuit eam aliis discipulis indicari a tribus, qui interfuerant, nisi post resurrectionem. Prius enim scandalizari poterant in ejus passione, cum viderent omnem ejus gloriam extinetam. At post resurrectionem non item, cum viderunt eum gloriam assumpsisse stabilem, nec amplius pati aut mori posse, ut explicat S. Hieron. apud Corn. a Lap. Matth. XVII.

At vero quis ita statuere ova erecta potest, ut pondus quodvis infracta sustinere queant? Quis ita erigere corpora nostra, ut confringi nequeant? Solus utique Christus, qui sicut sum exivit, ita eriget et nostra. Interim nos plerique saltem, non ita in Deum erecti stamus in hac vita, sed ovis jacentibus, quæ facillime franguntur, similes sumus. Quare adhuc in timore incolatus nostri tempore conversari nos oportet. Scribit Spartianus ex tempore, quo natus est Antonius Geta, gallinam in aula ovum peperisse purpureum; quod cum allatum frater ejus Bassianus adhuc parvulus acciperet, et quasi ludens allisum ad terram frangeret, Julia mater exclamavit: *Maledicte parricida fratrem tuum occidisti.* Ac sane occidit postea, et quidem in matris gremio. Purpureum ovum peperit nobis Christus, cum hodie surrexit, spem scilicet resurrectionis nostræ. Verum jacet id adhuc, nondum erectum est, frangi ergo custodia et excidere atque allidi et perdi potest. Væ nobis si fregerimus; animas nostras occidimus. Omni ergo custodia custodite ovum hoc cum Job, qui dixit: *Reposita est hæc spes mea in sinu meo: scilicet videndi Deum Salvatorem meum in cœlo.*

## CONCIO V.

## CHRISTUS RESURGENS SIMILIS PANTHERE.

I. In passione prædas egit, et post obdormit. — II. Evigilans surrexit cum terræ motu. — III. Mirificum odorem attulit secum spes resurrectionis. — IV. Dæmon illo odore enectus est. — V. Christus suam gloriam resuscitatus ex parte monstravit suis.

## THEMA.

*Ibi eum videbitis, sicut dixit vobis.* Marc. XVI.

Video vos, auditores, suspensos desiderio videndi Salvatorem nostrum a morte redivivum: sed eum videbimus. Recordamini, quid ipse ante tres hebdomades dixerit Joan. VIII. *Abraham pater vester exultavit, ut videret diem meum; vidit et gavisus est.* Diem passionis, inquit S. Ambrosius, I. I. de Abraham, c. XXIII. quando in monte Moria seu visionis, vidit arietem cornibus hærentem inter vepres, quem immolavit Deo pro filio suo Isaac. Aries enim ille Christum denotavit, qui sicut ovis ductus est ad occisionem et pro nobis immolatus, ut nos viveremus. Vepres coronam spineam, frutem crucem, cornua arietis titulum crucis, pendulus aries Christum crucifixum indicat. Vidit ergo Abraham a longe et figura arietis illius Christum crucifixum. Unde mons ille dictus est, *Dominus videbit*, vel (ut est nunc in Hebr.) *Dominus videbitur*, vel, ut legitur eit. Ambrosius, *Dominus apparuit*. Simili in figura monstrabo vobis hodie Christum ab inferis resurgentem, non quidem in ariete, sed in panthera, pulcherrimo animali, quod ideo forsitan sic appellatum est, quod decore et odore omnia quadrupedia superet; quemadmodum et Christus appellatur *speciosus forma præ filiis hominum*.

B. Petrus Damiani card. epist. ad Desiderium abb. et card. pantheram e triduo somno resurgentem sic describit.

I. *Hæc panthera cum diversis se venationibus refecerit, mox in suo spelæo se recipiens dormit.* Pari modo Christus Dominus, postquam in passione sua variis venationibus et prædis se refecit, postea obdormivit moriens, et in sepulcrum se recepit. Passio Christi non absimilis venationi fuit, in qua canes erant partim sacerdotum principes, seniores populi, cæterique Judæi, Christo infensi, partim milites Pilati, juxta id Ps. XXI. *Circumdederunt me canes multi.* Venator erat diabolus, qui canes illos invidia et furore plenos concitavit contra Christum, prædam ex illo sperans. Sed ipse in laqueum suum incidit, et quia innocentem Dei Filium, in quo juris nil habuit, persectus est, ipse præda, et omni sua juri-

dictione, quam habuit in humanum genus, turpiter spoliatus est. Itaque licet ipse cum suis canibus Christum in ea venatione dire exagitarit, et multis morsibus vulnerarit, interim tamen ipse cum Judæis magis exagitatus, et cruento ore spumans, abiit famelicus; Christus vero e prædis suis, quas in passione cepit, laute epulatus. Cepit in hac venatione Proculam uxorem Pilati, cepit latronem, cepit centurionem, et qui cum ipso erant, cepit plebem cruci astantem, ut reverterentur percutes pectora sua, cepit paulo post orbem universum. Hic ejus cibus, hæc præda fuit. Quid post ipsa etiam opprobria, sputa, verbera, spinas, clavos, lanceam pro cibis suis habuit. Ita enim de ipso Jeremias Thr. III. *Dabit percipienti se maxillam, saturabitur opprobriis*; siquidem hæc omnia tam lubenti et hilari animo propter nos suscepit, ut nos lucrifaceret, et regno suo inferret, quasi ea non injuriæ, sed epulæ fuissent. Saturata ergo his prædis panthera nostra, ubi dicit: *Consummatum est*, postea ad summum se recepit.

II. *Post triduum vero* (pergit B. Damianus) *refecta sopore consurgens, magnum emittit cum clamore rugitum.* Non absimili modo Christus post triduum mortis suæ, quæ somnus potius brevis fuit, juxta id Ps. III. *Ego dormivi et soporatus sum, et exsurrexi*, redivivus stupendum dedit rugitum, e visceribus terræ eructando fragorem, et qua-tiando terram: *Et ecce terræ motus factus est magnus*, inquit S. Matth. cap. XXVIII. *Magnus*, inquit S. Hieronymus, *ut cuncta concuteret, et eversionem terræ funditus minaretur.* Sed quamobrem.

Primo, ut orbi toti nuntiaret Christi victoriam, et de morte ac dæmone, partum triumphum: quasi repetens id, quod triduo ante dixerat: *Confide, vici mundum*, Joan. XVI. Cum navis opulenta ex altero orbe redit in patriam civitatem, solet ei denuntiare adventum suum, bombardæ explosione Christus ex mortuis resurgens, quasi navis opulenta, peregrinis, et ditissimis onusta mercibus, dotibus scilicet glorificati corporis sui, aliorumque qui cum eo resurrexerunt, indicare toti orbi per hunc terræ motum, reditum suum voluit; quia merces illis toti mundo attulit, quotquot eas emere vilissimo pretio volunt.

Secundo, ut hoc terræ fragore indurata Judæorum corda concuteret, et vel ad pœnitentiam, vel saltem ad erubescitiam et pudorem prosterneret. Ex oculato teste scribit P. Georg. Stengelius noster in labyrinthi parte II. c. XIII. nostra ætate Monachii leonem tali usum venatione: cum videret passeret agminatim in caveam suam devolantes, humi jacuisse immotum instar mortui ac dormientis. Passeres astuti alioquin, nihil

leonem advertere opinantes, propius accessere, nescio quid circa eum pipilantes. Tum repente leo irrugit tam horrendum, ut passeret conterriti veluti examines conciderunt. Leo autem jacentes et trepidantes pede percussus facili ictu occidit. Passeres erant Judæi, astuti suo iudicio, ut Christi nomen extinguere, unde mortem crucis turpissimam a præside gentili, una cum latronibus ei inferendam impetrarunt et procurarunt. Sed infirmi passeret erant. Composuit se ad mortem, quasi ad brevem somnum Christus, obdormivit in cruce, ubi sane nimis prope accessere ad eum Judæi, ipsi illudentes, insuper et custodiam sepulcro ejus ponentes. Verum ecce tibi tertio die irrugit hic leo tamen horrendo terre motu, ut custodes sepulcri imprimis omnes conterriti corruerent velut mortui, postea Judæi intellecta a custodibus Christi resurrectione toti contabescerent, et consilii inopes stultissima figmenta ad eam supprimendam excogitarent. Sed mirum vicit leo de tribu Juda, et Judæos cum figmentis suis facile obrivit; denique per Romanos, quia respiscere noluerunt, omnes exterminavit. Imitati sunt Judæi illi fratres Josephi, qui ut eluderent somnia et vaticinia ejus vendiderunt eum in Ægyptum. Eo vendito putabant jam se ab ejus imperio liberos esse, quin et mortuum credebant. Unde dicunt de illo: *Alius non est, super*, Gen. XLII. Et: *Uterinus frater* (Benjamin) *mortuus est*, Gen. XLIV. Verum ubi audierunt illum ipsum fratrem suum, quem vendiderant, stare ante se, velut unicuique servatorem suum, in majestate pauperis principis, non poterant respondere ei, nimio terrore perterriti, Gen. XLV. Idem accidit Judæis, postquam in paschate audierunt, et in pentecoste rursus confirmatam viderunt Christi resurrectionem. *Fiebat enim omni animæ timor, et metus erat magnus in universis*, ait Lucas, Act. II. Unde dicebant ad apostolos: *Quid facimus viri fratres?* Ibid.

III. *Cumeo simul rugitu* (addit Damianus) miræ suavitate atque fragrantie odor egreditur, ut omnes pigmentorum vel aromatum species vincere videatur. Omnes autem bestie saltuum, ad quas odor ille pertingit, ad eam profinus confluunt, ac tantæ suavitate spiramine delectantur. Attulit etiam Christus e sepulcro redivivus miræ et inaudite suavitate odorem, quo totum mundum ad se suique amorem attraxit, fidem scilicet ac spem resurrectionis infallibilem. Quemadmodum enim odor veris ex variis hortorum arborumque floribus spirans non homines tantum, sed et aves, atque apes, aliaque animalia, ex prægresso hiemis rigore ac languore rabida restaurat, recreat, et quasi rediviva facit; ita et

spes futuræ resurrectionis, quæ proinde veri et plantis nova germina gignentibus comparatur a Domino, omne mortalium genus consolatur, instaurat et lætificat: quæ et unicus ille incomparabilis odor fuit, quo ad Christi fidem obviis ulnis amplectendam allecti, imo pertracti sunt reges hujus mundi, regna et provincie. Exemplum in Job habemus, qui in gravissimis suis doloribus ab omnibus desertus, spoliatus, hoc uno resurrectionis odore ac spe corroboratus, perstitit immotus, ut ne in minimo quidem deliquerit. Cum enim carnem suam ulceribus plenam aspiceret, ita se consolans loquitur: *Scio quod redemptor meus vivit, et in novissimo die de terra surrecturus sum, et rursus circumdabor pelle mea*. Quæ verba optat etiam in solatium omnium miserorum sculpi *stylo ferreo in plumbi lamina*, Job. XIX. Unde et ab ea illustratione deinceps non amplius luget ac queritur de dolorum suorum immanitate, quasi sola resurrectionis memoria mirum in modum confortatus et exhilaratus. Nec immerito sane, quis enim agricola tristatur, quod sementem in agrum jacere cogatur, tametsi non omnino certus est de messe? Qui si certus esset de millecupla refusione? Et tamen ille scit, quod ea sementis prius macerari in terra, sepe liri et mori debeat, quam fructum producat. Mirum spes resurrecturi seminis jacturam suavem facit ac levem. Quis mendicus doleret, si spoliatur suis centonibus ea certe spe et promissione, quod ipsi post paucos dies nova et pretiosa vestis pro veteri illa danda esset? Annon potius gauderet? Cantor quidam senex, ut refert Plutarchus, in Pompeio, comite filia Stratonice, coram Mithridate, Asiæ et Ponti rege, in convivio psallebat. Rex Stratonice captus amore eam in pellicem suam abduxit, ægre id ferente sene, qui e filie cantu quæstum suum faciebat. Verum mane expergefactus domi conspexit vasis aureis et argenteis refertas coram se mensas, frequentem famulitii turbam, eunuchos et pueros, qui sibi exquisita pallia offerrent, atque in vestibulo stantem equum, exornatum, sicut regis amicis fieri solet, derisui ergo primum et ludibrio se haberi ratus efferre se ostio voluit; verum retinentibus eum ministris, exponentibusque divitis nuper defuncti optimam hæreditatem ei a rege donari, atque tenues has primitias et documenta esse reliquorum honorum, ita vix tandem hic fidem habens, purpuram induit, insiliensque in equum per urbem vectus est clamitans: *Mea hæc omnia sunt*. Sic compensato sibi quæstu, quem ex filia habuisset, gaudio plenus ac dives factus est. Similem quemdam ludum lusit cum S. Jobo Deus: abstulit ei possessiones

suas, sed duplum ei restituit. Sic ludit cum servis suis omnibus. Vitam miseram et momentaneam eis aufert, sed compensat beata et æterna. Quis non gaudeat ob talem commutationem? *Mea sunt omnia*, dicent, quæcumque in cælo bona sunt.

IV. *Solus draco cum vocem ejus audierit* (subdit Damianus) *nimio terrore contrahitur, ac subterraneis illico specubus occultatur, ibique vim tanti odoris nullatenus ferens rigidus obstupescit, et effraus viribus ac prorsus inanis tanquam mortuus deficit*. Quis hic draco nisi dæmon, qui propterea Christi resurgentis pedibus pingitur subjectus et ab eo conculcatus? Audiit hic vocem Christi ab inferis redeuntis, et confusum se ac victum cernens in antrum suum tartareum recipere coactus, ubi frigidus torpet, nec cuiquam nocere amplius potest, nisi quis in sinum suum receptum, suggestionem ejus foveat per delectationem, et manum ei porrigat per consensum; ad instar illius simplicis rusticelli, qui ex stulta commiseratione obstupefactum frigore serpentem sustulit, fovit ac calefecit damno suo. Quod fecit Tamerlanes ille Tartarorum princeps Bajaceti Turcarum imperatori, cum victum in caveam inclusit ferream, et sic conclusum undique secum traduxit; hoc dæmoni fecit Christus: *Expolians principatus et potestates, traxit confidenter, palam triumphans illos in semetipso*, ad Coloss. II. Undique enim per universam Ecclesiam demonstratur subjugatus, et expellitur signo crucis, aqua benedicta, etc. ejicitur e corporibus et habitaculis per exorcismos, ex animabus per sacramenta baptismi et penitentie præsertim. Rursus sicut dracones a natura damnati sunt ad antra et deserta, ut nemini facile, nisi qui prope ad eos accesserit, possint nocere; ita stygius ille draco ad suum ergastulum constrictus est a Christo, ut nulli, nisi secum colludenti obesse queat.

Denique, sicut obstinati Judæi a Christo contriti sunt, ut per orbem velut mancipia undique dispersi vagari et servire ad confusionem suam cogantur; interim tamen nec agrum nec cespitem terræ proprium habeant, in potestate nostra sit eos admittere vel expellere: fugare etiam facillime vel affricato larido possimus: ex livido vultu agnoscamus; cogere ad servitia abjectissima pro libitu queamus, etc. ita plane contrivit Christus dæmones, et subiecit nobis. Circum-

eunt per orbem velut canes invidi et famelici, nihil in mundo possident, precario tantum admittuntur: pelli ad nutum nostrum et excludi possunt, uno crucis signo, nomine Jesu, agno Dei, etc. deprehenduntur facile, et cogi ad obsequia nostra queunt. Denique Judæi permisi sunt vivere inter homines usque ad diem iudicii in confirmationem fidei: dæmones etiam non in tartarum omnes detrusi sunt; sed quam plurimi permisi supra terram vagari et tentare homines ad exercitium electorum, punitionem malorum, usque ad diem iudicii.

V. *Panthera animal est colore quidem varium, inquit Damianus, l. cit. sed specie pulchrum, et simplicitatis gratia mansuetum*. Habet enim in candido breves macularum oculos, Plin. lib. VIII. c. XVII. In vita patris Josephi Anchietae scribit lib. IV. Sebast. Beretarius, eo aliquando cum piscatoribus egresso ad parandum piscatu victum, apparuisse in diverso litore duas pantheras; quas cum socius ejus e propinquo spectare cuperet, præcepit abeuntibus Joseph, ut paulo post redirent, esse qui ipsas velint cominus videre. Confecto opere duabus conscensis naviculis cum comitatu trajicit, ad litusque accedit; illæ tam in litore placide se spectandas præbent, ut eas per otium aspicere omnes ad satietatem poterint. Non dissimili modo Christus resurgens cum quinque vulnerum cicatricibus, et glorioso corpore speciosissimus, se quidem suis amicis spectandum aliquamdiu exhibuit, at non multo tempore per dies quadraginta dumtaxat, ut desiderium illorum acueret, videndi sui in gloria sua. Hinc Magdalene ad pedes sibi accidenti et tangere se volenti ait: *Noli me tangere, nondum enim ascendi ad Patrem meum*, Joan. XX. h. e. noli jam immorari meo aspectui, sed vade ad fratres meos et nuntia eis resurrectionem meam; et tunc simul omnes sæpius ac diutius aspectu meo frui poteritis; diutissime vero et per omnem æternitatem fruimini in cælo. Revertar enim et assumam vos ad meipsum, et tunc videbitis me ad satietatem, juxta id Psal. XVI. *Satiabor cum apparuerit gloria tua. Iterum enim videbitis vos, et gaudebit cor vestrum, et gaudium vestrum nemo tollet a vobis*. Ergo Domine Jesu, fac quod pantheræ illæ fecerunt. Vidimus te jam, sed per speculum et quasi a longe; iterum ergo post labores vitæ nostræ ad nos redi, ut videamus te prope a facie ad faciem, et satiemur gloria tua.